

3. 2.

ORATIONEM INAUGURALEM
DE
INSIGNI ANATOMIES,
IN FACULTATES SUPERIORES INFLVXV,

QVA
PROFESSIONEM ANATOMIÆ
ET
CHIRVurgiÆ EXTRAORDINARIAM,

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATAM,
HOR. IX. D. XIIX. JAN. A. O. R. MDCCLXXVI.

AVSPICABITVR,
BENEVOLE AVDIENDAM,
MAGNIFICVM ACADEMIÆ RECTOREM,
PIO CERES VTRIVSQVE REIPUBLICÆ
GRAVISSIMOS,

ATQVE
GENEROSVM NOBILISSIMORVMQVE COMMILITONVM
CORONAM,
QVA DECET AC PAR EST OBSERVANTIA
INVITAT,

SIMVLQVE RATIONES QVADAM,
QVARE OPERATIONES CHIRVrgicÆ, HIC
LICORVM, NON ITA FREQUENTES SINT, QVAM PENES
EXTEROS QVOSDAM,
AFFERT

D. SAMVEL THEODORVS QVELLMALTZ.
PROF. PVBL. EXTR.

Anat.
A.

226. Anat. 439

Chirurgica.

ORATIONEM INAVGURALEM

INSIGNI ANATOMIAE

IN FACULTATE SVB

MORIBUS INFLVXV

PROFESSIONEM ANATOMIAE

CHIRURGIAE EXORDIARIAM

INSTITVTI SIBI IMPOSITAM

HONORIS A. M. D. C. C. C. C. C.

AVVICINATA

BEATISSIMO A. V. D. E. N. D. A. M.

MAGNIFICENTIAE ACADEMIAE RECTORUM

PROFESSORUM ET ALIARUM

CLASSE

GENERICORUM NOMINUMQUE COMMITTONVM

IN FACULTATE SVB

AVVICINATA

CHIRURGIAE EXORDIARIAM

INSTITVTI SIBI IMPOSITAM

HONORIS A. M. D. C. C. C. C. C.

AVVICINATA

BEATISSIMO A. V. D. E. N. D. A. M.

CLASSE



Q. D. B. V.



N peregrinarum gentium transire ha-
bitum, nationum populorumque
quorundam mos est. Alios autem
inter, Germanis magna ex parte
proprius quasi videtur ac perpetuus.
Vix enim mutatio ejus quaedam in
Gallia imprimis aut aliis regionibus
contigit, & cultu patrum pervul-
gato relicto, novo Gallorum aliorumque, si praecipue
commoditatis quandam praeseferat speciem, multi eo-
rum se induunt non sine procerum insigni querimonia.
Nolim quidem omnem vitiiis annumerare aemulationem,
atque

atque Horatio applaudere exclamanti: O! Imitatores fer-
 vum pecus! Haud enim parum insolentiae subesse, alios
 imitatione minus judicare dignos, arbitror. Nolim vero
 & contra ea eandem virtutum haud minimam semper ven-
 ditare, atque quae aliorum ingenii fruges habentur vulgo,
 aut potius foetus, non absque temeritatis nota mihi mox red-
 dere communes. Sit ea vitium, si quando vitium, sit
 ea virtus, si quando sit imitanda virtus. Mundi regio
 tam abjecta est nulla, quae non exempla exteris proponat
 imitanda. Pari itaque ratione quod de Germanis asserui,
 cum non bonis statim debeatur moribus, neque malis ea-
 propter erit inferendum. Enim vero in amplificandis
 perficiendisque artibus ac scientiis optimis sterilem nun-
 quam Germanorum fuisse æmulationem, sed tantos tulisse
 fructus, quantos pro certamine cum aliis quibusvis insti-
 tuendo pares judicare queas, extra dubitationis aleam est
 positum. Quod ipsum eorundem imitandi studium, laude
 omni dignissimum, si qua in re, certe in arte medica
 conspicitur manifeste. Quae cum, expulsa ex eadem
 omni barbarie, caput erigere coeperit, tantis tanque egre-
 giis accessionibus aucta hodie est atque exercita, ut si non
 praerogativam quandam mereatur, (quam Gallis aliisque me-
 hercule dubiam reddere potest) cum quibusvis tamen de
 eadem certare possit nationibus. Quanquam autem haec
 omnia cum veritate congruant quam maxime, mirari ta-
 men subit, quare artem divinitus hominibus concessam,
 praeclaram non minus quam utilissimam, quae manuum
 ope, morbos arcere, sanitatemque labefactatam reddere
 allaborat, a contemptu suo vindicare atque majori cum
 contentione splendori suo restituere haecenus dubitaverint.
 Scilicet quae Gallis, Italis, ac Batavis exculta optime est,
 ut

ut optimis non solum superbiat magistris, verum etiam tot tantisque operationibus dextre administratis, salutis hominum quotidie prospiciat, Chirurgia, succumbere fere in hisce oris aut potius somno quodam atque sopore sepulta videtur. Quod cum non possit non aliqua ex parte dedecori ipsis cedere, operæ me pretium facturum confido, si in causas hujus rei brevibus inquiram.

Chirurgiam equidem partem medicinæ constituere vetustissimam, nemo, nisi in historia medica hospes, negare poterit. Præstantiam autem ipsius Medicorum quasi Cicero, Celsus, disertis admodum verbis, comparationem quandam illam inter, ac medicinam instituens, prædicat maximopere lib. VII. Præfat. ejus initio: *Est ejus, inquit, effectus inter omnes medicinæ partes evidentissimus. Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademque sæpe salutaria, sæpe vana sint: potest dubitari, secunda valetudo medicinæ an corporis beneficio contigerit. In his quoque, in quibus medicamentis maxime utimur, quamvis profectus evidentior est, tamen sanitatem & per hæc frustra quæri, & sine his reddi sæpe, manifestum est. Sicut in oculis quoque deprehendi potest, qui a medicis diu vexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte, quæ manu curat evidens est, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere.*

Quibus verbis certitudinem artis maximam probans dignitatem simul ejus stabilire, ac adversus ipsius contemtores firmare voluit. Nititur scilicet pars hæc medicinæ, quæ manu curat, in cunctis suis enchirisis indubiis fundamentis anatomicis ac penitiori partium humanum corpus constituentium cognitione. Quæ vero cum oculis, maximam partem, cultri beneficio, exponi possint, adeoque quoad imprimis situm earundem, structuram, ac connexio-

nem, sensuum ministerio addiscantur, non possunt non eadem peculiarem fœnerari certitudinem.

Cum igitur & chirurgia huic ipsi superstruenda sit, tanta laude, tantaque æstimatione digna est, quanta disciplinæ ac scientiæ, firmo quæ nituntur talo. Quibus ita constitutis, antiquiores medicos eam omnibus modis excolere atque exercere haud puduit. Nec Germaniam quondam eandem neglexisse, sed longo satis tempore in sinu suo fouisse, nemo, nisi tot tantorumque in hac arte excellentium virorum, quos ea aluit, nescius, inficias ire poterit. Simul atque vero artem ministris suis commiserunt exercendam, quæ antea non spernenda sumserat incrementa, ad incitas fere relictæ videtur.

Fieri alias haud raro solet, ut si quis varietate artium exæmptus, uni saltem intentus sit, eandem ad summum sæpe evehere possit fastigium; verum si hac lege lampada iisdem tradiderint medici, spes illos frustrata est quam maxime. Quæ enim quasi dextrum ut medicinæ, ita & chirurgiæ constituit oculum, corporis structuræ perfecta notitia, ab anatomicæ petenda, plurimi destituuntur, paucissimi, uti decet æ par est, gaudent.

Qui vero naturalem artuum ac partium interiorem constitutionem ignorantes, earundem præternaturalem statum in naturæ conformem reducere poterunt? Qui ossa luxata aut prorsus fracta in situm debitum reponere valebunt, ossium compagis atque qua ratione alterum cum altero connectatur, imperiti? Qui cultrum in incisionibus vasorum aut partium carnosarum aliarumque, ut et operationibus aliis adornandis dextre dirigent, ductuum, tendinum, nervorum, cæterarumque partium expertes. In procliv-

ves

ves & raros, sed passim obvios ex insufficienti peritia anatomica provenientes, recensere, satius tamen duco eosdem splendorem artis obfuscantes, occultare, quam eorundem enarratione, artem in se optimam contentui exponere. Namque is ego non sum, qui laudibus chirurgorum dextrorum sive hic sive alibi locorum degentium, derogare quid velim, qui pro merito cuilibet honorem habeo, atque illorum studium, quod in lustrando corpore humano impendunt quidam, æstimo ut decet. Interim ex hoc ipso fonte varia alia promanare damna, quis non perspicit. Hinc enim est, quod excidant animo, si quando urgente necessitate, secandum, urendum, aut aliud quid agendum sit audacter. Hinc est, quod, nescio an jure an injuria suspicetur vulgus? multos læsionis saltem superficialis sanationem, (cum sœstra temporis diuturnitati commodare soleant ægri) in longum, lucelli ergo, differre diem. Hinc porro esse pato, quod multi tenui scientia instructi, subsidia quarrentes vitæ necessaria, neglectu suorum, aliena magis tractent, nobilioremque artis suæ partem scurris, agyrtis, fabris ferrariis, deploratoque cuilibet artifice relinquentes, viliores exercere malint. Qua etiam de re levioris æque ac melioris sortis homines, rusticos, non nisi rusticis in his rebus propria ignorantia instructos, adeunt, atque sic achærona quasi ipsa movere videntur, eoque magis cum secundum Palingen. l. V. Zodiac. Vit. Miserae sint leges, quæ talia crimina ferunt. Esse hinc aliter non poterat, quam ut usus, qui tamen solus artifices facit, pessum eat, atque hac ratione ars ipsa penes Exteros longe aliam præ se ferat faciem, quam in nostris regionibus. At enim vero, quod ad illos, eorum urbes magnitudine sæpe insignes, ingens & incolarum advenarumque frequentia colit, cumque infimul,

mul, anatome optime constituta, amplis ac rite ordinatis publicis nosodochiis gaudeant, tot agrorum millia continen-
tibus, occasio deficit nulla, a primo mox diluculo hujus
insudare artis enchirifibus.

Ne quis ea propter culpam omnem in nostros chirurgos, aut
in anatomicarum exercitationum defectum redundare, arbitre-
tur, quæ tam frequentes observantur in plerisque academi-
arum theatris, ut frequentiores vix his temporibus desiderari possint.
Verum pars ejus haud exigua in ipsos ægrotantes quoque, loco-
rum conditionem, ac varias alias circumstantias cadit manife-
ste. Ipsa enim peregrinis terris non rara operationum chi-
rurgicarum frequentia, cum ipsi constitutioni incolarum
naturali, quorum alii dyscrasia humorum scorbutica, alii
cachectica, alii alia dispositione ad fluidorum corruptionem
prona laborant sæpe, tum, quod imprimis Gallos spectat,
levitati cuidam medicorum, qui velut præter vomitoria ca-
thartica, clysteres, potiones sudoriferas &c. V. Sem in
morbis tantum non omnibus instituire; ita & vario modo
chirurgorum manus exercere consueverunt, debetur.

Nullum proinde dubium, hos præcipue gloriæ, in
tanta ipsorum doctrinæ caligine cupidos, ad amputationes
statim ac instrumenta, forte & multoties absque prægnan-
tibus rationibus, cum posthabitis sæpe illis servari poterat,
membrum, properare. Quæ autem Dei est bonitas, a mul-
tis nos malorum, externa violentia inflictorum procellis
vivere immunes magis, in aprico est. Haud interim de-
sunt, qui per varios casus, per tot discrimina rerum, mul-
ta sibi contraxere vitia, non nisi debita circumspectione
chirurgi tollenda. Cum illis autem tristi admodum specta-
culo conficiantur sæpe tandiu, retardantes manum chirur-
gi, donec viribus pene deperditis, parum vitæ supersit, sua
morte

morte mori, quam sanitatis spe, per breve temporis spatium dolere, satius ducentes. Fieri namque non potest, ut quæ partes hominis singulari, volente sic omnium rerum Creatore, præditæ sunt sensatione, ferrum admittant aut ignem omnis perceptionis nesciæ; quapropter & tali plerosque abundare conspicis intolerantia, qua mortem ex morbo non tam sibi fingant atrocem, quam exiguos sæpe dolores vel ex exploratione vulneris decenti provenientes, morbique ipsius doloribus multum quandoque mitiores. Si tandem quidam rebus ita comparatis, naufragium fortassis manus, brachii, pedis, aut alius cujusdam partis cum vitæ, thesauri omnium pretiosissimi lucro, hominum miserrimi facere debeant, cum postea ad negotia sua consueta peragenda inepti evadant prorsus, vixque inveniant sibi relictæ, quibus vitam ad usque extremum spatium ducere queant, placidam quoque cum reliquis mortem miseræ præferunt vitæ.

Supereft adhuc omnibus modis detestandum, plerisque nihilominus commune vitium, si quando vel strenue ac maxima cum circumspæctione suo fungantur officio chirurgi, ob mali tamen pertinaciam atrociamve, aut aliis accedentibus symptomatis idem cedere recuset, aut saltem non ex voto ægrotantium superari queat, famæ illorum non solum insidias struunt ipsi pariter ac adstantes, verum etiam, qui turpi debentur invidiæ mores, chirurgorum alii. Neque hic terminus esto, sed

B

CO

eo quoque audaciae progrediuntur saepe multi, ut vel dicam scribere artifice haud erubescant, neque eundem negligentiae aut ignorantiae suspitione liberent prius, quam unanimi medicorum suffragio absolvantur innocentes. Adeoque cum fostrum inter tenellum non raro, atque incommoda, ex postulatione, causaeque dictione oriunda, proportio intercedat propemodum nulla, famam, si vel perdant proemium, servaturi chirurgi, dissuadere saepius operationes, cum difficultatibus quibusdam conjunctas, quae comitantur easdem & sequuntur symptomata, haemorrhagiae, puta, enormes, febres vulnerariae, convulsiones, aliaque hariolantes, coguntur. Cui rei medelam paraturus Paracelsus, ut in prognosi formanda, justo haud sint liberaliores artifices, uti quorundam consuetudo fert, monet rectissime. Chirurg, magn. lib. I. c. I.

Plures sunt, fateor, rationes, quae artem hanc emergere, ut decebat, haud patiuntur, sed anceps haereo, annon ulteriori earum recensione tedium creem *Benevolo Lectori*, cum, quibus mediis illae pariter, ac quae restare poterant, sint removendae, aut sponte sua innotescat, aut in praesenti a me haud indicari debeat, qui ansam modo arripui de hac materie haec qualia qualia differendi, postquam

Augustissimus ac Potentissimus
Princeps & Dominus Dominus
 FRI,

FRIDERICVS AVGVSTVS,
 Poloniarum Rex, Magnus Dux Li-
 thuaniae, Russiae, Prussiae,
 Masovia, Samogitia, Kyo-
 via, Volhynia, Podolia, Pod-
 lachia, Livonia, Smolenskia,
 Severia, & Czernicovia &c.
 Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae,
 Montium, Angriae & West-
 phaliae, Sacr. Rom. Imperii Ar-
 chi - Mareschallus & Elector,
 Landgravius Thuringiae, Mar-
 chio Misniae, superioris inferio-
 risque Lusatiae, Burggravius
 Magdeburgi, Comes Principalis
 Hennebergicus, Comes Marcae,
 Ravensbergi & Barbyae, Dy-
 nastia in Ravenstein &c. &c.
 Dominus meus longe Clemen-

tissimus Anatomie & Chirurgiæ Professoris ex-
 traordinarii munus mense Novembr superioris an-
 ni ex singulari gratia mihi demandavit. Quam
 pietate ac mente veneror devotissima submississimaque,
 ac non abs re fore opinor, si, hanc ipsam spar-
 tum oratione solenni auspicator, *Insignem Ana-*
tomies in superiores facultates Influxum, pro virili
 enodare sustineam. Ad quam benevolis auribus
 excipiendam Præsentiam perquam exoptissimam
RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICI,
Procerum utriusque reipublicæ gravissimo-
rum & reliquorum Patronorum & Fausto-
rum, nec non Generosorum atque Nobilissi-
morum Commilitonum decenter admodum mihi
 expeto, hunc favorem atque affectum debita pieta-
 te observantia atque officiis pro virili, quavis occa-
 sione remuneraturus. D. Lips. Iphis Idibus
 Januar. Dom. I. post Epiphan.
 A. MDCCXXVI.

LIPSIÆ,

Literis ANDRÆ MARTINI SCHEDII.



Ant A 224,60